



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

Wion, Arnold

Venetiis, 1595

Abbates Casinenses, in Lateranensi Monasterio Romæ præsidentes. cap.
IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38372

tronax ad monasterij reedificationem se accinxit, & eodem Pontifice, necnon Gregorio III. ac Zacharia iuuantibus, in optimum statum reformauit, ut rectissime, temporum serie incorrupta ubique seruata, annotauit doctissimus, & diligentissimus Carolus Sigonius de Regno Italie, lib. 1. ad annos 589. & 719. secundum cuius castigationem præfati tres auctores corrigendi sunt, & eorum errores animaduertendi.

Abbatēs Casinenses, in Lateranensi Monasterio Romæ præfidentes. Cap. IIII.



ANCTVS Bonitus, quintus Casinensis Abbas, Lateranensis uerò primus, post ædificationem illius Monasterii, præfuit aliquot annis, & sanctitate clarus migravit in cælum.

Sanctus Valentinianus, S. P. Benedicti discipulus, secundus Lateranensis Abbas, & unus ex eis qui S. Gregorio vitam S. P. Benedicti narrarunt, quo præfidente ordo monasticus per totam Britanniam, & Scotiam Petro Diacono in catalogo Abbatum monasterij Casinensis referente, dilatatus est, gregem sibi commissum verbo, & exemplo pientissime rexerit, & tempore S. Gregorij I. Papæ ex hac uita migravit.

ANNO TATIO.

Puto irrepisse apud Tritemium de vir. ill. Ord. S. Ben. lib. 3. cap. 9. ut hic S. Valentinianus, præfectus Lateranensi cœnobio dicatur à Sancto Benedicto, pro Bonito: facilis enim est lapsus unius dictionis in aliam: non enim illo tempore uinebat S. P. Benedictus, nec quicquam de Lateranensi monasterio legitur usque ad Boniti tempora, qui præfatum S. Valentinianum moriens, in regimine sibi succedere iussit.

Gregorius, tertius Lateranensis Abbas, uixit anno Domini 600.

Sanctus Theodorus, quartus Lateranensis Abbas, & S. P. Benedicti discipulus, uir sanctus, & Deo dilectus, magnæ charitatis, & abstinentiæ fuit. Huius tempore S. Faustus Monachus, peregrinationis S. Mauri in Gallia Comes, ad Lateranense cœnobium rediit, & ibidem uitam eiusdem Sancti Mauri eleganter composuit, quam Bonifacius Papa sua auctoritate comprobauit. Vixit Theodorus anno Domini 608.

Ioannes, quintus Lateranensis Abbas,

Leo, sextus Lat. Abbas.

Vrsus,

Vrsus, septimus Lat. Abbas.
 Agapitus, octauus Lat. Abbas.
 Leo II. nonus Lat. Abbas.
 Ioannes II. ut vult Petrus Diaconus, ab Anastasio uero Romanus vocatur, Decimus Lat. Abbas.
 Theophilus, undecimus Lat. Abbas.
 Adrianus, duodecimus Lateranensis Abbas: de quo, & aliis præcedentibus, nihil adhuc præter nuda nomina reperire potui.

Abbatēs Casinenses secundò. Cap. V.

SANCTVS Petronax cuius Brixianus Abbas Casinensis à S. P. Benedicto sextus, Sanctis Gregorio II. & III. & Zacharia Pontificibus hortantibus, cœnobium Casinense in pristinum statum restaurat anno Domini 719. & eidem per annos xxxij. summa cum sanctitate præest. Obiit die vj. Maij, anno Christi 751. & in porticu iuxta Ecclesiam S. Martini, quæ à S. Zacharia Papa Archiepiscopo undecim, & Episcopis sexaginta octo præsentibus anno 748. fuerat consecrata sepultus est.

Optatus Abbas VII. creatus die 7. Maii anno 751. præfuit annis 9. mensibus 7. diebus 28. Obiit die 4. Ianuarij anno 760. iuxta prædecessorem sepultus.

Hermens Abbas VIII. creatus die 5. Ianuarij 760. præfuit mensibus 6. diebus 14. obiit eodem anno die 18. Iulij, & apud S. Benedictum Casini sepultus est.

Gratianus, Abbas IX. creatus die 19. Iulij anno 760. præfuit ann. 4. mens. 1. dieb. 4. obiit die 22. Augusti anno 764. & in porticu Ecclesie S. Martini sepultus est. Vacauit Abbatia, eo mortuo, menses 11. & dies 13.

ANNOTATIO.

Leo Ostiensis. lib. I. c. 10. Chron. Casin. dicit præfuisse ann. 4. mensib. 5. Petrus autem Diaconus in catalogo MS. Abbatum montis Casini, an. 4. mensis 2. cuius supputationem tanquam uerisimiliorem libentius sequimur: cum enim dicat idem Leo. c. 19. Gisulfum Abbatē à Gratiano IIII. creatum fuisse anno 797. si numeri ab ipso positi ueri sunt, non potuit Gratianus sedisse magis quam ann. 4. mense 1. dies 4. nam si plus sedisset non potuisset creari usque ad 11. cal. Aprilis anni 761. & sic vacasset Abbatia menses octo, & amplius, quod temporum ratio non permittit; Quod autem dicit Petrus præfuisse ann. 4. mens. 2. sic accipiendum puto non quod men-